



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An Matrem Christus reprehendat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

non oportere ex affectu parentum, aut cognatorum illa administrare. S. Augustinus valde multus est in *Christum* eo, ut ostendat, Christum cum veniret honoratum *matrem* nuptias, non contempisse matrem. Tract. 8. in Ioan. *contempserit.* Certi, ait, sacramenti gratia, videtur matrem de qua sponsus processit, non agnoscere, & dicere illi: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Quid est hoc: ideone venit ad nuptias, ut doceret matres contemni? Vtique ad cuius nuptias venerat, ideo ducebat uxorem, ut filios procrearet: & ab eis quos ut procrearet, optabat, vti que honorari cupiebat. Ille ergo venerat ad nuptias, ut exhonoreret matrem; cum & propter filios habendos, quibus reddere honorem parentibus imperat Deus, ipsa nuptia celebrantur, & ducantur uxores? Proculdubio, fratres, lateat ibi aliquid.

Gentiles §. 2. Gentiles olim Christo crimen contempra *Christum* matris obijciebant. Quasi iam grandior eam abdi- *de contem-* casset. Illis respondit olim Iustinus Martyr, resp. 136. *pta matre* Verba non esse contemnentis: nec vero demones, cum *accusans.* clamarent, Quid nobis & tibi? Christum spernebant, sed horrebant, Christus ipse se excusat. Non esse Dei ordinationem, ut statim succurrat, nondum venisse horam, quod non est contemnentis, sed instruentis. Hoc admodum notandum est: Hæreticos qui hic matrem à Christo reprehensam aiunt, id à paganis sumpsisse.

§. 3. Manichæi olim, Mariam Christi matrem negabant. Quod dicat: Quid mihi & tibi mulier? Augustin. tract. 8. in Ioan. Quos ille copiose & eleganter confutat. Eodem enim hoc capite, non semel, sed crebro, matrem appellat.

§. 4. Heluidius virginem negavit, quia Christus mulierem vocat. Respondet Hieron. Nomen esse sexus, non corruptionis. ita Tertullian. lib. de veland. virg. Epiphani. hæresi jr. de qua re alibi disputavi.

VERSUS 4.

Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.

QVÆSTIO I.

An matrem Christus reprehendat?

Reprehensio §. 1. Si in ea culpa fuit, reprehensam esse, mirum non *nulla, ubi* est: si nihil delicti admisit, speciem reprehensionis esse poterit, nulla autem reprehensio. Neque enim diuinæ iustitiæ est, non culpanda reprehendere. Nullum in eius petitione peccatum, nisi suspicione mera inueniri potest, ut Cyrillus docet, & Bernard. Rupert. Petere enim vinum pro conuiuio malum non fuit, quandoquidem nec dare malum fuit. Malo autem animo virginem petisse nemo potest, nisi suspiciosus & sinister alienæ mentis interpret iudicare. Cur enim non caritatis potius affectu dicam Virginem rogasse, quam vanitatis? Deinde, nihil tale in ea Christus reprehendit, cur nos suspicemur?

Caluini Caluinus quaerit: [Sed cur, inquit, tam duriter à *censura.* Christo repellitur? Respondeo, quamuis neque ambitio, neque alius carnis affectus ipsam ageret, in eo tamen peccasse quod fines suos excessit. Quod sollicita est de aliorum incommodo, & mederi quoquo modo cupit, hoc humanitatis est, ac virtuti dandum: sed interea se ingerendo, Christi glorio iam obscurare poterat. Quinquam simul notandum est, Christum non tam eius, quam aliorum causa sic locutum esse, maior eius erat modestia, & pietas, quam ut adeo seuera castigatio opus haberet, deinde non peccabat illa sciens & volens. Sed Christus periculo tantum occurrit, ne alio quam oportet trahatur matris dictum, quasi ex eius præscripto miraculum postea ediderit.]

Respondeo: Periculum hic nullum apparet gloriæ Christi obscurandæ, non enim peccat ingerendo se, cum pro aliis intercedit. Cur enim non pro consanguineo, & mater apud filium intercederet? Christus ipse curam vini suscipit, & ut Caluinus ait, suarum esse partium testatur.

Si filius Dei ex miserationis affectu dedit, cur non petere mater potuit?

Certum est B. Virginem misericordia adductam à Christo petiisse pro sponsi vinum, vnde vero factum ut deesset, incertum, quidam inopinato Christi, & discipulorum aduentu, alij ob paupertatem sponsum.

At causas cur vinum deficeret frustra inquirimus. Diuina providentia sic ordinavit, quo medio vltus sic ignoratur, quid culpa vel erroris contigerit in nuptiis, aut quo casu acciderit, nescitur. Non mirum saepe falli calculatorem, aliquorum inopinato accessu, ministri alicuius infidelitate, maiore aliquorum ex inuitatis vel fidei, vel auditate, vini etiam vilitate, quo fieret, ut minus aquæ misceretur, effusione vini, alijq; modis, vel singulari vel omnibus contingere defectus potuit.

§. 2. Constituendum est B. Virginem etiam nondum multa miracula viderat, omnia tamen quæ ad Christum pertinebant, cognouisse, Beata enim dicitur, quæ creditur, cum filio etiam tot annis versata, non ignorabat Deum esse. Itaque non tanquam ignorantem proponit, hoc enim blasphemum fuisset, sed intercedit; Ex quo & hoc doceo, fidem B. Virginis veram fuisse, nec in eo errasse, quod sibi existit mater licitè pro sponsis orare. Accedit igitur eum cui vniuersa possibilia esse nouerat, ut Cyrillus Alexand. Atque ita respondetur quaestioni quam Chryostomus proponit; cur nunc miraculum petat, cum ante non vidisset? Mater enim scripturæ, & secretorum conscia, iam adesse tempus sciebat, quo gloriam suam esset man festaturus.

§. 3. Falsum itaque est, quod commouetur Caluinus non miraculum petiisse, sed monuisse, vel aliqua conuiuas exhortatione solaretur. Sed verba Christi, & virginis ad ministros contrarium indicant. Cur enim ministris præciperet, ut facerent, quicquid dixerit, si non vinum petebat, sed exhortationem? Quid enim ad ministros pertinebat exhortatio: aut cur hortando magis oneraret verecundiam sponsi, solent discedere taciti, si deesse aliquid aduertant, & distimulare.

§. 4. Multi speciem reprehensionis esse existimant, non reprehensionem. Aug. hic. & tract. 119. l. de fide. Theophil. Antioch. l. 4. alleg. Gaud. tract. 9. de lectione Euang.

Speciem reprehensionis in eo esse, vt indicaret, se tanquam Deum operari miracula, non vt hominem. Deus autem à matre sine matre, qua quidem Deus est. Non ignorabat ista mater, sed tamen tali occasione dici solent etiam illa, quæ notissima sunt, vt coniderentur.

S. Bernardus Christum vt hominem locutum arbitrat, nam significare iam se ea ætate esse, eo que in officio, in quo ex carnis & sanguinis affectu operari nihil oporteat.

Hoc etiam placuisse Bullingero Zvingliano constat, sed minus quam Caluinus sit, deprauato: [Com- Matrem pellat autem filium, dicit, mater ex commiseratione quadam, cupiens inopia sponsi subuenire filij humanitate & omnipotentia: quam multis iam argumentis experta fuerat in filio. Ideo reuerenter ipsum appellat, nec præscribit quequam, sed admonet tantum. Quasi dicat, Scio quanta polleas virtute atq; potentia, scio quam beneficis & propenso animo sis, in omnes homines, proinde nil tibi præcipio, moneo tantum & indico vinum defecisse. Sunt qui parent matrem humano laborasse affectu, virtuteque filij sibi gratiam]

gratiam voluisse hominum conciliare, filii que gratia clarior reddere: quocirca dominus ipsam excepit acerbius. Nam respondens dicit, *ἢ τί μοι καὶ σοὶ γυναικί:* Quid mihi & tibi mulier? Quod tamen sic exponi poterat, Nihil hoc vel mea vel tua retulerit mulier. Nam architrictini est contumio prospicere. Verum sic non vsque quaque coharet quod mox sequitur, Nondum venit hora mea. Vnde videtur duriscule excipere dominus matris admonitionem ac dicere, Quid mihi tecum rei est mulier? Quod locutionis genus ab Hebræis peritum repulsam cum quadam obiurgatione habet. Nam 2. Samuel 16. dicit David ad Abisai, Quid mihi & vobis filii Zerua? Pro quo germanus diceret, Was gelys dich an? Was habich mir dir zu thun? Quod autem durus excipit admonitionem matris Dominus, non in hunc finem facit, vt doceat filios liberosue parentes obitu gare sauias: qui vbique alias præcipit parentibus debitum deferre honorem: sed sic voluit Dei asserere gloriam: quam tamen si mater minime cuperet infirmatam, noluit tamen ille rebus diuinis vel tantillum immiseri rerum humanarum. Syncera oportet esse diuina opera ac libera: vnde dicit, Nondum adest hora mea, ipsa scilicet agendi oportunitas, quæ à diuina pendet potentia & prouidentia, non à cuiusquam creaturæ influ, admonitione, suggestione, aut voluntate. Hactenus tuæ voluntati me præbui morigerum: quod nunc restat (verbis iam vtor Paraphrastæ) ex arbitrio patris gerendum est, non ex humano præscripto. Alibi mater fuisse posthac mihi nihil aliud eris quam mulier, quoties versor in patris negotio. Huius gloriæ quoties erit feruendum, nihil opus erit tua interpellatione: vltro faciam quod res ipsa postulat. Habeo tempus à patre præscriptum. Atque eam expositionem agnoscit & S. Augustinus.]

§. 5. Mulo grauius Lutheranos confundit Brennius hom. 21. qui quamuis alium errorem habeat, Matram tamen defendit. Cum doctissime affectum caritatis in Matra fuisse quo intercederet, deinde fidem commendat. [Confidit ergo fore, inquit, vt cū Iesus qui sit verus Messias, videat necessitatem, lucum, & vitam pauperum coniugum, subueniat ac optuletur eis. Hæc est magna & memorabilis Mariæ fides. Sed audiamus nunc, quomodo Iesus excipiat preces Matris. Dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Hæc siue sic intelligantur, Quid mihi tecum est negotij? siue aliter, Quid vel ad me, vel ad te, quod vinum deficiat? certe non solum dura est responsio, sed etiam manifesta recusatio. Nihil mihi est negotij cum hac re. Nondum est tempus, vt ad miracula, Abigitur cum precibus tuis. Ad me nihil pertinet, quod non habeat vinum. Hoc quid aliud est, quam si pe. spicue diceret: Nolo facere quod petis? Quid ergo ad hæc dicemus? Quid sibi vult tam dura filij responsio erga matrem, in negotio admodum honesto? Num docet Christus liberos contemnere, fastidire, ac duriter tractare matres suas? Nihil certe minus. Nam & ipse fuit subditus parentibus suis, & tanta cura complexus est matrem suam, vt de cruce commendaret eam Ioanni. Sed quod hoc loco inuehitur in matrem tanta duritia, suas habet causas, quas operæ precium est cognoscere. Ac primum docet vnitatem ecclesiam, quomodo soleant diuinitus tractari hi, qui inuocant nomen Domini. Nam quod Christus respondet Mariæ, videtur quidem esse recusatio, sed non est nisi fidei eius tentatio. Solent enim his qui ex fide inuocant Deum, obijci in initio aduersa quædam, & contraria diuinis promissionibus, idque non ob hanc causam, quod Deus non velit innocentes ex fide seruate iuxta suas promissiones. Quomodo enim posset Deus esse mendax? Sed vt fidem innocentiū probet,

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

& illustret, ac etiam promissam salutem augeat. Nam quo diutius differtur beneficij collatio, eo auctius & cumulatus redditur. Quod vt aperte videas, considera, obsecro, mihi exemplum mulieris Cananæ, cuius fit mentio apud Matthæum c. 15. Hæc enim rogabat Iesum pro filia sua à dæmonio exagitata. Rogabat autem ex fide earum promissionum, quæ de Messia, filio Davidis extabant, id quod ipsa haud obscure significat, cum vocat Iesum, filium Davidis: Miserere mei, inquit, Domine fili David. Sed Iesus initio nihil respondet, mox aperte recusat, postremo repellit, eam etiam contumeliose, Non est honestum, inquit, solum mere panem filiorum, & dare canibus. Quid hoc cinea est rei? An non scriptum est de Messia, quod medetur contritis corde, & consoletur omnes lugentes? An non Iesus, qui erat verus Messias, receperat publice, exoneraturum se oneratos, & refocillaturū afflictos? An non misera mulier inuocabat nomen eius ex fide? Quid huic inuocationi deest? Nihil certe. Hic est affectio mulieris, hic est promissio Dei, hic fides, hic inuocatio ex fide. Sed Christus simulat se abominati preces mulieris, non quod repulerit eas, sed vt fidem mulieris illustriorem reddat, & maius beneficium in eam conferat. Quod mulieri huic priuata accidit, hoc solet omnibus pijs in inuocatione nominis Dei accedere.]

Non indiget hac defensione B. Virgo, nec lector quidem catholicus; sed adferenda tamen ista sunt, vt appareat, quomodo veritas etiam ex hostium castris testimonia sua habeat.

Non est species reprehensionis.

§. 6. Eorum sententia, qui nullam hic speciem reprehensionis agnoscunt, vera videtur, optimeque defendi. Phrasis enim illa, Quid mihi & tibi, non est abominantis, amicitia abdicantis, aut alioqui significans nihil sibi cum alio plane commune fore. Sed certa in re de qua agitur suo se iudicio vsurum, non ab alieno dependere indicat, aut in ea re sibi non passurum leges poni. Ita 2. Reg. 19. 22. Quid mihi & vobis filij Sarrise? non reijcit ille filios Sarrise, quorum strenua opera vsus fuerat, & vt ebat, sed vltiscendi cupidinem retundit. Nec Abisai peccasse facile dixerim, cum intulit, Ergo non morietur Semei? &c. Reuera enim mori dignus erat; nam & David testamento vltionem filio mandauit. Non autem expediebat rebus adhuc fluctuantibus animos ad rebellionem pronos seueritate iusta exacerbare. Species illa reprehensionis fuit, non reprehensio, æqua enim erat postulatio Abisai, sed temporibus aduersa.

Quid Iehu 4. Reg. 9. 18. 19. respondet nuncijs, quid tibi & paci, Transi, sequere me. Potest sine reprehensione intelligi, vt & quod vxor Pilati viro nunciat, Matth. 8. 29. Nihil tibi, & iusto illi. Hoc est, nec eum lædas, nec calumnias contra eum audias. Vbi nec est reprehensio, nec species reprehensionis. Docere enim virum suum voluit, Christum esse innocentem, id se per quietem intellexisse, ideo caueret, ne de iusto grauius statueret. Monuit igitur, non reprehendit.

§. 7. Standum illa interpretatione videtur, quam Christus ipse adducit: Nondum venit hora mea. Quo considerato clarissimum euadit, nullam esse reprehensionem, imo si quis benignus velit esse interpretis, nec speciem eius. Mater cum iam videret adfundum ventum, & non sine sponsi erubescencia vinum defore, id monet, respondet Christus: Quid mihi & tibi mulier, in hoc negotio scilicet, vt statim miraculo vinum sufficiam, non tuo iudicio hoc faciendum, sed meo. Non tu male verecundiæ sponforum consultum vis, sed melius ego diuinam gloriam iudico querendam ex miraculo manifesto. Itaque, nondum venit hora, Cur hæc spectandum enim est, dum omnibus constet, quid tunc vinum defuit, vt cognoscant vnde suppletum sit, manifestandum.

Nulla re-reprehensio.

X 3 da est

da est mea gloria, non igitur tuo iudicio fient, sed meo. Hoc enim signo discipulorum fides confirmabitur, & satis conuincis conf. letur. Non igitur inter matrem & Christum vlla est lis, mater mature occurrendum necessitati existimat, ante quam conuincis inno. sciat defectus, idque benefica, & amica caritate, filius hoc non culpatur, sed expectandum esse docet, donec omnibus constet, aquam in vinum mutatum esse. Hoc ira intellexisse matrem ipsa demonstrat, cum iubet ministros facere quicquid d. xerit: illorum enim opera & testimonio vsurum sciebat. Monet autem vt impigre pareant, causas nullas exquirendo, cur aquam ferre iubeantur, cum vinum desit.

Non curiose petiuit.

§. 8. Obijciunt, curiose, aut intempestiue miraculum petiisse. Verum hoc sola coniectura comprobant, melius potius de Dei matre sentiendum, Christus nec ludæorum (Matth. 12. 39.) nec Herodis (Luc. 29. 8.) curiositati miraculum indulsit, cur curiosam matris importunitatem miraculo foueret?

Denique mater se non reprehensam, sed exauditam indicat, cū monet ministros, vt Christo pareant. Etiam hic ex suis confutate Caluinianis operæ precium est. [Porro, (inquit Bullingerus) in matre relucet nobile illustre fidei exemplum. Iubet enim vnice respicere ad præcepta filij. Nihil enim offensa duriore eius responso, nec diffidens eius bonitati virtutique, iubet ministros accinctos prætolari mandata filij, sperans ipsam pro bonitate solita beneficium aliquod præstiturum indigentibus.]

Mater neficia decreti festi non peccat.

Irenæus lib. 3. cap. 18. intempestiuam eius repulisse ait festinationem: Nihil enim, ait, incomptum atque intempestiuum apud eum, quomodo nec incongruens est apud patrem. Præcognita sunt enim hac omnia à patre, perspicuum autem à filio, sicut congruum & consequens est apto tempore. Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum, & ante tempus volente participare compendij poculo: Dominus repellens eius intempestiuam festinationem dixit. Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea: expectaueam horam qua est à patre præcognita.

At non reprehendit mature monentem, sed sibi tempora reseuat, obijciendum igitur nostris hæreticis, quod hunc in locum doctissimus Pammelius habet: Non est, inquit, quod ex hoc loco putent Gnostici posteriores Irenæum B. Virginem Mariam alicuius viri arguere; cuius integritatis, pietatis, & fidei tantus assertor & vindex esse apparet infra lib. 3. cap. 24. 25. 26. 27. 32. 33. & lib. 4. cap. 40. & lib. 5. Nec enim culpatur illius humanitatem, qua egentibus subuentum cupiebat; nec matrem esse abnegat filius, cui subijci & parere non detrectauit. Sed ille singulariter natus de patre sine matre, de matre sine patre: miraculum quod facturus erat, secundum diuinitatem quam non genuerat mater, facturus erat, non secundum infirmitatem: ideo operaturus facta diuina, ait Augustinus, non agnoscat viscera humana. Et Iustinus Martyr responsione ad 136. quæst. orth. ait. Illud, quid tibi & mihi est mulier? non ad obiurgationem dictum est matri à Seruatore, sed quasi hoc demonstrare vellet. Non nos ij sumus qui curam suscepimus vini, quod in nuptu consumitur: tamen præ amore si vinum deficiat eos vinum, dicunt ministris vt faciant que ego ei dixerim, & videbis eum non deesse vinum: id quod etiam accidit. Non ergo verbis matrem obiurgauit, cum eam factis honorauit.

Beza matrem Deo præire voluisse.

§. 9. Nemo hic Beza petulantior est: [Est enim, ait, longe asperissima hæc obiurgatio, quasi non modo diuersa, sed etiam oborsus repugnantia inter se committantur, veluti cum diceret Paulus, veluti istiusmodi ellipsin supplens, *ἡς μετὰ τὴν, συμεφώνως, ἡνιωσὶα, μετὰ τὴν, 2. Corin. h. 6. 14. & 15.* Aliter tamen aliquid locutum Christum aut asperius, quam & persona matris, & res ipsa ferret, nemo sine impietate dixerit. Hinc igitur discendum est quam graue sit peccatum, Deo præire & præscribere aliquid quod etiam ex Pe-

tri reprehensione asperissima liquet, Matth. 16. 23. Deinde inde dubium non est, quin sic Dominus occurrere voluerit se cuturis illis horrendis superstitionibus, quibus ex matrem in filios auctoritatis iure arrepta occasione, tam fœde contaminatum Dei cultum videmus. Maria eo vsque cœcæ, vt etiam publice illacinateur: R O G A PATREM, I V B E NATVM, ET I V R E MATRIS IMPERA.]

Non modo reprehensionem, sed etiam acerrimam esse censet. Deinde grauissimum matris Dei peccatum esse blasphematur. Hic mihi lector consideret, an ita sui oblita virgo sacra esse poterit, vt non modo Dei mandata violare, sed etiam illi imperare sit conata. Nesciebat scilicet fuisse angelorum summum crimen, velle similes esse aëtissimo. Præire & præscribere Deo voluit? atqui si hoc fecit, Deo se anteposuit, Deum sibi obtemperare voluit, hoc qui de Christi matre fingere potuit, Christianus non est. Hoc Pharaonis est, hoc Nabuchodonosoris, hoc Antiochi, hoc Neionis, qui tamen etiam Deo obedire noluerunt, eo tamen demerentia non venerunt, vt etiam imperare & præscribere vellent. At accinitor illi, iube matrem, iure matris impera. Non vitur quidem Ecclesia hoc loquendi modo, sed priuati est hymni, in quo iubere & imperare, non nisi de oratione cum magna fiducia, qualis est matris erga filium, accipi potest. Non diu: la ratione dicuntur se viri sancti iræ diuinz opponere. Sic Deus Mosi Dent. 9. 14. *dimitte me vt conteram eum.* Sane Moses omnipotentem Dei manum tenere non poterat, quod minus populum rebellem contereret, sed oratione tamen Mosi tenent se pronunciat, cum tamen ipse orandi spiritum, & caritatem Mosi dedisset.

§. 10. Sæpius monui Euangelistas compendioses, gestas, & dicta personarum recensere. Hic insignis locus est, qui id indicet. Mater enim non modo de miraculo certa est, sed etiam de modo miraculi, cognouerat enim futurum, vt in eo ministrorum opera vteretur, & quidem laboriosa, quocirca hortatur eos, vt imperanti obtemperarent. Alia certe ratione eam in se suis ministris supplere defectum potuit, si effectisset, ne vasa & pocula vacuauerunt, sicut Leicythus olei non defecit. Itaque matri dixit, quid facturus esset, nec illa ministris monuisset, nisi scisset fore, vt illis filius aliquid imperaret, credo vero & hoc matrem, Christi iussa fecisse. Nam certe multum aquæ, hoc est pene integrum dolium hauriendum fuit, multum enim ex hydriis depletum fuit.

§. 11. Caluinus perperam hic matrem denuo accusat: [Fateor quidem, inquit, ex circumstantia præsentis virginem sic locutam esse, ac si negaret hac in parte quicquam sibi esse iuris, Christum suo vnus arbitrio factum quod placuerit: sed si eius consilium spectes, latius patet hæc sententia. Potestate enim, quam sibi perperam sumpsisse videri poterat, se abdicauit, cum sequendum præcipit eius imperium. Ergo generaliter hinc docemur, si quid expectamus à Christo, non aliter nos vororum fore compotes nisi ab ipso toti pendemus, in eum respicimus, facimus denique quicquid iubet. Atqui nos ad matrem non ablegat, sed ad se inuitat potius.]

Mater ad Christi obedientiam optime ac sanctissime inuitat. Nulla tamen potestate se abdicat. Nam dicendo: *vinum non habens*; non sumpsit sibi imperium in filium, sed pro egentibus orauit, cur vero ille vel hoc suspicatur aut in dicit, cum nullum eius rei sit in scriptura indicium?

§. 12. Quale porro est, quod ait matri preesse negatum, quod aliis liberaliter est concessum? Nihil negauit enim dicitur.

ADAMIUS
112
+ Euangeli
CVI
12

Mariæ
pauca
Beza

Mariæ
pauca
Beza

enim matri negat, sed nondum tempus suum esse allens, differendum docet, & dilatio non multo maior fuit, quam vt ministri hydrias imple-
rent. Multo aliter viri Pij & docti censuerunt, qui ad Mariæ intercessionem citius factum esse scripserunt.

Falsum etiam est, aliis hoc concessum; quando enim alias aquam in vinum mutauit? aut simile quid aliis ad alienam intercessionem dedit? Hic autem matrem continud exaudiuit, & cum momentum à Patre præscriptum aduenit, vinum dedit, cum omnibus iam conuiuii de inopia vini constaret, non fementibus vt imaginatur Caluinus; quis enim sponsi inopiam fremitu & indignatione, non misericordia & silentio verecundiam prosequitur, nisi forte barbarus & scythia, aut his deterior nepos aliquis & Cynicus Caluinaster.

§. 13. Chrylustomi auctoritate hic abutuntur. Verum illic hunc locum, non accusat Mariam peccatam. Verba eius sunt: Optabat enim vt iam hominum gratiam conciliaret, & ipsa clarior filij gratia efficeretur, & forsasse aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres eius cum dixerunt: Ostende te ipsum mundo: cupis eius miraculis sibi famam comparare, idcirco asperius respondit: Quid mihi & tibi mulier: nondum venit hora mea. Nam quod matrem reueretur, testatur Lucas, quod subditus erat parentibus, & hic Euangelista quantam passionem tempore matris curam habuerit. Vbi enim parentes nihil diuina impedirent mysteria, nihil offenderent, aquam & necessarium est filio parere, neque negare sine inagno periculo potest. Contra verò cum intempestiue aliquid petunt, & spiritalem sermonem impediunt, illis obtemperare non est tutum. Propterea & hic ita respondet, & alibi rursus. Que est mater mea, & fratres mei aiebat. Siquidem non ad huc debitam de ipso opinionem habebant, sed more matrum, Maria iure omnia filio se precepturam censebat, cum tanquam Dominum colere & reuereri deceret, ideo in hunc modum respondit.

Et paulò post: Alia præterea causa asserri potest, non minus necessaria, ne qua in miraculo suspicio oriretur: ab indigentibus enim; non à matre id querendum erat: Quid tandem? Quoniam qua familiarium precibus impetrantur, quamuis magna, raro tamen eorum predicationibus augentur: indigentium laudes, cum quid impetrant, omni vacant suspensione, nihil ab his simulatur, & multa inde vitia prosunt. Etenim si vel optimus medicus, qui cum multis agrotos visitauerit, neque ab ipsis, neque eorum familiaribus, sed à sua tantum matre laudaretur, suspecta sanè esset: laus illa & molesta, nec presertim quæstiam magnum de eo aliquid vel egregium opinaretur: propterea asperus locutus: Quid mihi, inquit, & tibi mulier? tam admonens, ne idem amplius tentaret. Cura enim ipsa mater honor, sed longè magis animarum salus, & commune in multos beneficium, cuius gratia humanam carnem accipit. Non sunt igitur hac liberius ad matrem loquentis, sed diuine dispensationis verba, vt admoneret pro dignitate miracula faciendâ.

Potuit sanè absque peccato, & filio, & sibi gratiam optare; sciebat enim fore, vt beata ab omnibus generationibus diceretur, idq; etiam humano affectu, sed ad Deum relato.

Intempestiue rogare non est peccare, sed à tempore aberrare: alioqui peccaret, si quis gratiam peteret, quæ post horam danda esset, non sciebat nec præciebat momenta m-ter. Itaque nondum hieeam Chrylustomus peccati accusat. Nequidem cum ait offendere; impedire ab aliis negociis: hæc enim ab inficis sine peccato fieri a solent.

Nec Augustinus Tractat. 8. in Ioan. Mariam accusat; sed rationem reddit, cur sic responderit. Cur er-

go ait Matri filius? quid mihi & tibi est mulier: nondum Mulierem venit hora mea? Dominus noster Iesus Christus, & Deus erat vocat, m-ter & homo. Secundum quod Deus erat, matrem non habebat: ter enim nõ secundum quod homo erat, habebat matrem. Mater ergo erat, secundum carnem, mater humanitatis, mater infirmitatis, quam secundum id quod suscepit propter nos. Miraculum autem quod facturus erat, secundum diuinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem faciebat. Item secundum quod Deus erat, non secundum id quod infirmus natus erat. Sed infirmum Dei fortius est hominibus. Miraculum ergo exiebat mater, et ille tanquam non agnoscat viscera humana, operaturus facta diuina, tanquam dicens: Quod de me facit miraculum, non tu genuisti, diuinitatem meam non tu genuisti. Sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te agnoscam, cum ipsa infirmitas pendebit in cruce: hoc est enim, nondum venit hora mea.

Denique Chrylustomus dubitando loquitur. Euthymius & Theophylactus ea auctoritate non sunt; qua moneamur, vt contra B. Virginem aliquid pronunciamus.

QVÆSTIO II.

Quantum vini dedit?

§. II. Hoc ex hydriarum magnitudine colligendum est: quarum singulæ metretas binas aut ternas capiebant. Metreta Hebræis est מֶטְרֵת , unde *Multerem* Latinum, *cadus*. Epiphanius de mensuris metretæ tribuit duodecim congios. Congius senos sextarios continet. itaque metreta est 72. sextariorum. Sextarius autem duodecim cyathos continebat, metreta igitur cyathos 764. hydria quæ duas metretas continet sextarios 144. cyathos 1528. Hydria trium metretarum sextarios continet 216. cyathos 2592. Si igitur statuas tres hydrias habuisse binas metretas, tres vero ternas, efficiemus metretas 15, hoc est 1800. sextarios, cyathos verò 12961.

Romani sextarium pro ordinaria mensura potus vitis habebant, tot igitur hominibus vinum sufficiebat, quod CHRISTVS dedit. Sed hic duo spectanda sunt; Primum vinum Palæstinæ fuisse nobilissimum, & inter vina illius Regionis, Galilæa Palæstinæ um fuisse eximium. Deinde vinum quod CHRISTVS fecit, communi vino fuisse præstantius; cum aqua bibi autem omne vinum aqua misceretur, multò copiosius hoc miscendum erat, merum autem vinum Palæstinæ ad sedandam sitim non bebatur. Ex quo constat insigne fuisse miraculum & illustre, dum in longum tempus paupertati sponsorum prospexit, non modo multitudine, sed etiam generositate vini, quam omnes mirarentur. Nec dubito quin diebus multis vinum hoc expetitum, & conseruatum fuerit.

Nicanor metretæ tribuit 12. choas, de his Plinius, Dioscorides, Agricola de mensuris. Rup. Budæus lib. de ass.

Franciscus Lucas hunc in modum mensuras describit: Si ponas, ait, hydriarum illarum tres, cepisse duas metretas, tres alias cepisse tres metretas, continuerint in vniuersum quindecim metretas, id est, mille sexcentas viginti libras, siue 6480. oua communia, quod est nostro modo loquendi, duos vni modios plus minus, constante modo nonaginta sex lotis. Vasorum numerus & capacitas exposita, eo pertinet, vt Quot libra miraculi subsequenti veritas & magnitudo cognoscatur vini. Non enim parum aliquid vini dedit IESVS, quod vel oblivione relictum, vel aliunde subuectum credi posset. Verum amplius multò, quam consumi potuisset illo conuiuii nuptiali; etiamsi ab initio conuiuii, ex eo bibitum fuit lenius fuisse, vini copia, miraculi & commendante digni aem, est, & irrefragabilem probante veritatem. Non enim ad abusum